

05

10 we.

U. q. 19, 3



18
QUÆSTIONUM
POLITICOBELLICARUM

DECURIA,

QUAS

DEO OPT. MAX. ASPIRANTE,

Consentientibus Superiori-
bus in incluta Salana,

Sub Præsidio

M. CHRISTOPHORI STÖLTZERI ISLEBIENSIS,

Loco Valedictionis

examinandas proponit

Hans Heinrich Mitschessall Nob. Hetrusc.



JENÆ

LITERIS WEIDNERIANIS.

ANNO CHRISTI

M. DC. XV.

*Antiquâ generis profapia, variarum rerum
usu & experientia, omniq; virtutum genere Nobilissimis,
Strenuis & Eximijis Viris,*

**DN. JOBST von Adelepschen /
Celsissimo Duci Brunsvi-
cens. à consiliis intimis & Sa-
trapæ Eminentissimo,**

**DN. JOHANNI à Tettenborn in grossen Wäch-
jungen / Serenissimo Saxonix Electori à
consiliis appellationum, &c.**

Fautoribus meis omni observantia colendis,

Hoc exercitiolum debita animi devotione
dicat & offert

Hans Heinrich Nitzschefahl.

An bellum justè geratur utrinque?



Elli ἐτροπὴν variè torquent Critici, modò enim per ἀντιφράσιν dicunt, quasi minime bellum; modò à bellua, quia bellum sit indignum hominibus, & quia Natura feras armasse videtur potius ad prælia & concertationes cornibus, robore, celeritate, non hominem, cui Cic. i. offic. suffragari videtur.:

Temerè in acie versari, & manu cum hoste configere, immane quiddam & belluarum simile est; Propius tamen aliquantò ad rem videtur accedere Scal. lib. 3. poët. c. 89 ubi à voce Duellum oriri asserit, quia scilicet initio concertatio saltem fuit inter duos; nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit, ac quemadmodum *dis, bis, ducnum, donum, bonum, sic duellum, bellum.* Inde quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adjectionem judicantes, cum quibus bellum esset, ubi Scipio Gentilis, Non simpliciter bellum, sed pertinax, id enim particula Per significat, autore sexto Pompeio. Cumq; bellum sive duellum sit duorum, controversitur: An ambæ partes justè belligerent? & id quidem à quibusdam magni nominis viris asseritur, cujus sententiæ rationes asseruntur 1. ab etymo: Quia hostes ab eo dicti, quod utraque pars æquo jure pugnet, hostimentum secundum Nonium Marcellum aquamentum est, hinc hostimentum beneficii pensatio, 2. Quia quilibet in liberali causa conventus de statu suo transigere potest. 3. Duo corâ giudice litigantes ante latam sententiam justè agunt, justè excipiunt. 4. Jure Rom. statuitur, ut, qui capti à suis hostibus essent, servitutis jure attinerentur, quia autem Romani semper justa prælia movent, & si viceversa concertationes injustè prælia agitant, cur igitur quos capiunt, servos suos faciunt, eorumque dominium nanciscuntur? & præterea secundum Baldum nemo debet jus suum indiscussum relinquere, sed tentanda, quæcunque tentari possunt. Imò bellum justum esse potest

test ex una parte verè, ex altera per ignorantiam justam, ut ecce Dei voce justè Judæi bellum contra Cananæos moverunt, & justè Cananæi repellebant quoque Judæos, ignari vocis divinæ, & se defendentes, & præterea unum non desinit esse justum, licet alterum sit magis justum: recipiunt enim virtutes magis & minus, & virtutis medium aliquam habet latitudinem, non in puncto versatur.

Verùm enim verò quod pace tantorum virorum ego pufio dixerim, licet illi plus justitiæ ponant in opinione, quàm in veritate, attamen plus ponimus in veritate quàm in opinione, nam non statim quod videtur esse justum, etiam justum est: *ἔστι Φαντασία, καὶ ψευδής, & γίνεται δόξα καὶ ἀληθής κ̄ ψευδής,* dicit Philosoph. 3. de anim. text. 157. Loquimur autem hîc de tali re, quam una pars justè petit, deinde de vera, non imaginaria justitia, unde: Ubicunque sunt partes duæ controvertentes de unica unius causæ justitia, ita ut res quæ venit in controversiam, unam partem justè, alteram injustè spectet, ibi etiam una pars justè, altera injustè agit. Atqui belligerantes sunt tales partes. Ergò. Non a. decisio causarum facit, ut causæ sint justæ, sed id agit, ut justitia causæ, quæ latebat, magis emineat, unde l. 1. §. 1. ff. de just. & jur. Jcti ideò Sacerdotes Justitiæ appellantur, ut æquum ab iniquo separent, quomodo autem? non quatenus iniquum apparens, aliàs seipso ab æquo separatum est, sed quia sæpè iniquum pro æquo venditatur, ideoque talis requiritur separatio. Quomodo v. ignorantia injustæ actionis actionem justam faciat non video. Joh. 16. v. 2. dicit Christus ad discipulos: Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo: quæro: An justè ille agat, qui arbitratur se justè interficere sanctos? Ideoque 1. in primo arg. periculosa est argumentatio ab etymo, quò plus valere putamus definitionem, hostis, l. 24. ff. de capt. & postlim. rev. & l. 118. ff. de verb. signif. propositam. In secundo, quia nulla est connexio, respondere nolamus. In 3. est falsa hypothesis. Quod v. attinet quartum, rum in illo quoque nulla est sequela, nam quia bella ex jure gent. suam cepere originem, per l. 5. ff. de just. & jur. & §. jus autem gent. Instit. de jur. nat. gent. & civ. ideò ob illam peculiariter rationem concessa est servitus, quò existimaretur, satius esse
hominem

hominem captivum, cujus vitæ necisque potestas penes victo-
rem erat, servire, & in statum servilem deducere, nec hoc ex
bellis quibusvis, sed quæ fiunt cum hostibus, l. 2t. ff. de capt. &
postl. puta cum Turcis; quis autem concedet Turcas justè belli-
gerare: si hîc justitiæ libram ad manus sumimus, scilicet sicut
Julianus Apostata justè invehebatur in Galilæum. Libenter au-
tem concedimus, virtutes recipere magis & minus, respectu
subjecti, interim autem magis & minus non variat rei speciem,
ideoque semper manet quæstio, an justè. Quomodo verò Ca-
nanæi justè militaverint contra Judæos ob ignorantiam vocis
divinæ, dicere nequimus, putarem quod, quicumque voci divi-
næ licet ignoranter resistit, injustè resistat. Reliqua plura ob pa-
ginæ angustiam reservamus conflictui, & ulterius quærimus:

II.

*Positnè Princeps Christianus sine peccato
conscribere milites ex populo
infideli?*

Hic in dubio minimè positum volumus, amicitiam & con-
versationem, usque ad aras tamen, cum iis coli posse, qui magis
à vera & sincera deviant religione, qualiter Abraham commo-
ratur apud Ægyptium Pharaonem famis tempore, Genes. 12.
Isaac vivit cum Abimelecho Philistæo, Gen. 26. Salomon cum
Hiram Rege Tyrio singulariter colludit, cum quo amicus fue-
rat David omni tempore, 1. Reg. 5. v. 1. Verùm an licet super-
addere aliquid illi conversationi & pro defensionibus, talibus
viris uti belli tempore, magis quæritur? Affirmantium quidam,
quidam in negantium eunt sententiam. Illorum sunt hæc. I. Pau-
lus ut ad sui defensionem provocaret Phariseos, dixit se Phari-
sæum, Act. 23. v. 6. ibidemque Tribuni militibus se defensum
cupit. Abraham cum Escol & Aner fœdus habebat, Genes. 13.
1. Maccab. 8. Judæi fidei pugiles pacto se adjungunt Romanis
hac ratione: si institerit bellum Romanis prius, v. 24. auxilium
feret gens Judæorum, v. 25. si genti Judæorum acciderit bellum,
adjuvabunt Romani ex animo, v. 27. II. Producent & hæc: Quia
A 3 quod

Quia quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimatur, l. 3. ff. de just. & jur. præcipuè si se aliter tueri nequit, l. 45. §. qui cum aliter, ff. ad l. Aquil. veletiam si justè timet, quod se aliter tueri non potest, l. 49. ff. eod. præterea ignoscitur illi, non solum qui aggressorem, sed quemcunq; alium in dubio vitæ discrimine constitutus occiderit, l. 2. C. ad Leg. Corn. de sicar. arg. l. 29. §. item Labeo, ad l. Aquil. & ignoscendum ei, qui qualiter qualiter sanguinem suum redimere voluit, l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sent. vel mort. & alia plura. Negantium verò hæc. 1. Quia non arandum cum bove & asino simul, Deut. 22. vers. 10. 2. Quia nulla communicatio lucis & tenebrarum. 3. Quia nullus consensus Christianorum cum Christi persecutoribus. 4. Homines diversæ professionis in uno negotio non sociandi, c. in nova 16. q. 7. 5. Quia si frater, qui Ecclesiam non audit, debet esse alienus, Ethnicus & Publicanus, quantò magis alienus erit infidelis? 6. Quia non orare licet cum schismaticis & hæreticis secundum Augustinum, c. non licet, 1. q. 1. quomodo ergò pugnare licebit? 7. Si secundum Augustinum satius est mori fame, quàm idolothyti vesci, c. sicut satius 32. q. 4. multò satius erit injuria opprimi, quàm vindicari aliquo hæretico vel infideli. 8. Quia Imperatorum & aliis constitutionibus disparis fidei hominum à nobis consuetudo & contubernium eliminatur, per l. 6. C. de jud. & cœlic. 9. Quia sæpè malorum consortia etiam bonos corrumpunt. Quod autem hæc negantia & alia præter hæc allata complura attinet, ea simpliciter ita stare non posse animadvertimus. Et quidem primum argumentum si ita formatur: Qui differunt tanquam bos & asinus, non possunt simularare, sive quidvis agere. Fideles & infideles differunt tanquam bos & asinus. E. Ibi negamus minorem, nam primò quidem non simpliciter dicimus, quosvis obvios in defensionem vocandos, sed eos demum, de quorum fide & constantia certi sumus, qui sanè quatenus in fide illa politica & foedere publico conveniunt, non differunt tanquam bos & asinus, sed maximè sunt unum. In secundo committitur fallacia à dicto secundum quid ad d. simpl. nam ibi intelligitur lux & tenebræ spirituales, imò si ita simpliciter accipi deberet, nec ipse Christus debuisset lucere in tenebris. Ad 3. est revera consensus sed
politi-

politicus, non spiritualis, sicut Abraham habebat fœdus cum
E scol. Ad 4. Ibi de hominibus diversæ professionis, si omninò
valeret argumentum, tamen milites qua milites non sunt di-
versæ professionis, sed unam eandemque habent, militantes
sub uno vexillo. In 5. est peculiaris sermo de excommunicatio-
ne, sed est iterum fallacia secundum quid, nam eatenus revera
conveniunt talis frater & Ethnicus, quatenus nullam habent
participationem Ecclesiæ, & hæc est inimicitia spiritualis, quan-
do igitur Christus dicit; sit tibi tanquam Ethnicus & Publica-
nus, intendit, quod ita eum habere debeas tanquam membrum
spiritualis corporis putridum & foetidum, quod est abscissum,
longè verò quoque alia est ratio in tali excommunicato, qui
traditur etiam Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit
in die Domini Jesu, 1. Cor. 5. v. 5. In 6. negatur major, quæ ita
erit, cum quibus non licet orare, cum iis non licet pugnare,
nam à precibus conjunctis ad pugnam non valet consequentia,
Abraham non orabat cum confœderatis. In 7. negatur, quod
ita quasi idolothytis vescamur, conversantes cum illis, qui sunt
idololatræ, nam aliud est idoli cultus, aliud persona contamina-
ta, quæ colit idolum, nam non statim, qui colit idololatram, co-
lit idolum, sicut viceversa qui colit verum Deum colentem ve-
rè, non statim colit ipsum Deum verum verè. Contra 8. militat
Paulus 1. Cor. 7. v. 12. & 13. ubi conceditur matrimonium inter
fideles & infideles. In nono committitur fallacia accidentis,
nam ibi est socius & commilito usq; ad aras. Quod v. tanto pe-
rè vitio verteretur, si quis militaret ope infidelium contra fide-
les, dicimus quidem hoc temerariè minus fieri debere, nisi in
extremo casu necessitatis, ubi locum habent argumenta affir-
mantia suprâ adducta, & hac ratione impugnantur.

Christiani non quâ Christiani, sed quâ hostes,
quibus aliter resisti minus poterat.

Verùm:

An

*An fidelis & Christianus potest
sequi bellum infidelis?*

Et illud affirmat Ambrosius dicendo: Julianus Apostata habuit sub se Christianos milites, quibus cum dicebat, Producite arma pro defensione Reipublicæ, obediebant ei, cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, hinc cognoscebant Imperatorem cœli, August. lib. 22. contra Faust. c. 75. Vir justus, si sub Rege, etiam homine sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi, unde hîc & alibi videre est. Patres hos & alios affirmativam concedere certo quodam respectu, sc. quando in causis Reipublicæ infidelis agit, secus verò si contra Christianos, nam in id idem August. sermon. 6. de verbis Domini: Qui resistit potestati Dei, ordinationi resistit, sed quid si illud jubeat, quod non debeas facere? Hîc sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum legum gradus advertite, si aliquid jusserit curator, nonnè faciendum est? tamen si contra Proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire, &c. In contrarium militat exemplum Josaphat 2. Paralip. 19. v. 2. cui, Regi Achab impio auxilium ubi præstiterat in bello, occurrit Jehu dicens: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt dominum, amicitia jungeris, & idcirco iram Domini merebaris, & edictum Gregorii III. c. nos sanctorum, & Urbani II. c. juratos milites 15. quæst. 6. Domino excommunicato obligatos non solum à sacramento fidelitatis absolvit, sed insuper illi fidelitatem servare prohibent, idem etiam fit in tit. hic finitur lex in consuet. feud.

Verùm quanquam hîc responderi poterat, non simpliciter improbari ita factum Josaphat, sed ideò, quia Achab Pseudoprophetarum persuasionibus seductus contra Michæ admonitionem irrationabiliter in Syrios invehebatur, ideoq; improbari factum.

factum Josaphat, quod unà cum impio abierit, licet Dominus aliud per Micham annunciatet. Capitula verò allata, quod non simpliciter absolvant obligatos à defensione, sed saltem si dominus excommunicatus velit bellum offendendi gratia suscipere: nam in dicto capite hìc finitur. potest extrui argumentum: sicut vasallus juvare potest Dominum irrationaliter Gverram facientem, ita quoque excommunicatum juvare potest, jam verò licet non offendendo, tamen defendendo Dominum contra alium servire potest. Ergò etiam ita excommunicatum juvare potest. Licet, inquam, ita responderi poterat, tamen necessaria hìc addenda est distinctio, aut enim singularis quædam pactio intercedit inter fideles & infideles, tunc omnino quis Christianus cum infidele vel hæretico in militiam abire tenetur, sicut Judæi ex pacto juvabant Romanos, 1. Maccab. 8. imo vel hosti data fides servanda, ut infrà fusiùs. Vel aliquis est subditus Domini infidelis, tunc etiam illum juvare tenetur, quia ibi locum habet illud Roman. 13. vers. 2. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sin nullum horum, non facile militare potest, puta, si miles Christianus contra Persas juvaret Turcam, malè ageret, cum defensione juvaret illum, qui ipsos Christianos de medio tollere studet. Ideoque cautè hìc militandum.

IV.

An subditi de suo comparare debent spectantia bellicum apparatus?

Duplici ratione per juramentum quis venire potest in potestatem, vel ratione feudi, & tunc tanquam vasallus, vel ratione jurisdictionis, & tunc tanquam subditus, nisi forsan adjici possit tertius modus, scilicet per juramentum assecurationis, in eo, qui sperat successionem. Uterque autem

B

ita

ita cadit in potestatem sui domini, ut illum re, quantum juvare potest re-juvet, præcipuè contra hostes aut inimicos, de nov. form. fidelit. & c. hic fuitur lex. Videbatur quod minus, quia sicut non videtur subditus promississe contra seipsum, nec etiam contra suos, quorum injuriam possit propulsare, argum. l. lex Cor. ff. de injur. nec contra propriam patriam, argum. l. minimè, ff. de relig. & sumt. fun. ita etiam non videbatur promississe contra rem propriam. Imò cum hac ratione agant subditi quasi servi officium, servum autem tenetur alere dominus, per l. cum plures, §. cum tutor, ff. de administratione tutor. Sed quod Domino teneantur præstare operam subditi, ita ut de suo comparent necessaria, probari potest ex hoc, quod ubi quis servit impellente juris necessitate, tunc debet propriis impensis servire, quod etiam postea probatur argum. l. suo victu, & l. quod nisi, ff. de oper. libert. Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 66. num. 10. Rosenth. c. 8. conclus. 22. num. 1. & quidem ita, ut nec Dominus teneatur ad restitutionem, si aliquid subditus perdidit, l. 2. §. si conservatis, ff. ad l. Rhod. de jactu, l. si ut certò, §. planè, ff. commod. l. inter causas, §. non omnia, ubi Bart. & Dd. ff. mandati, l. contractus, vers. animalium, ibique Dd. ff. de R. J. l. quod nisi de oper. libert. Et id quidem tam diu stare quit, donec consuetudo suberit in contrarium, quia contractus censetur secundum illam celebratus, l. semper in stipulationibus, ff. de R. J. & quælibet dispositio recipit interpretationem à consuetudine, principaliter etiam debet includi hoc, si feudum, vel illud ipsum, de quo subditus suppeditare potest, sit opimum, sit opulentum, sit pingue, secus si tenue atque ad sumtus faciendos non sufficiens, tunc enim Dominus ipsi sumtus atque expensas, quas in servitia Domini facit, solvere secundum communem Dd. sententiam debet. Bart. l. Mævia, §. fin. ff. de ann. legat. Alvar. & Præpos. c. 1. in prin. de nov. form. fidelit. Alex. l. recusare, §. si quis alio, n. 4. ff. ad SCtum Trebell. Jas. §. libertus, num. 28. Zas. in tract. feud. 7. part. num. 44. Præpos. §. similiter, argum. l. suo victu 18. l. aut certè 19. & l. pen. ff. de oper. libert. Quid autem si subditus fuerit deprædatus in ditione Domini à latronibus, quos eò loci scivit grassari Dominus, & tamen non prohibuit, tunc tenetur

netur ad emendationem damni, Rosenth. c. 8. conclus. 22. num.
2. Myns. cent. 5. obs. 70. num. 1. Gayl. lib. 2. obs. 64. Quid
ergò si capitur ab hostibus? & tunc propriâ se debet liberare pe-
cuniâ, l. inter causas, §. non omnia, ff. mandat. l. item quæri-
tur 3. §. si quis servum, ff. locat. si tamen aliter Dominus subdi-
tum captivitate liberare vel res ablatas recuperare queat, æqui-
tas suadet, Dominum, cujus gratia hujusmodi calamita-
tem est perpeffus, id omninò facere debere, arg. c. 1.
§. item si delator, quæ fuit prima causa, c. 1.
§. Dominus, de form. fidelit.

V.

*Utrum subditi etiam extra ditionem domini
debeant prestare operam domino?*

Contingit interdum, ut Dominus è territorio vel ditio-
ne cogatur abire, & quidem ad vindicandam fortè injuriam,
vel devitandam devastationem, vel ditiones exterâs recupe-
randas, vel interdum peculiari quodam œstro percitus ad inhi-
andas alias sedes, ergò jam controvertitur, an subditorum de-
bita alias opera etiam sese extendat ad ditionem remotiorem?
de prioribus quidem facilè concedi potest necessitatibus, arg. c.
1. in princ. vers. & si scivero de nov. form. fidelit. dum ibi textus
generaliter nulla distinctione loci facta velit Dominum juvari
debere. Includimus tamen hîc iterum peculiare pa-
ctum, & tenorem investituræ, arg. c. 1. vers. propter tenorem
investituræ, & ibi Dd. de duobus fratribus à Capitan. c. 1. §. pen.
& fin. quid sit investit. l. semper in stipulationibus 35. ff. de R. J.
deinde consuetudinem loci peculiarem, arg. l. excepto 18. & ibi
gl. C. locati, l. domini prædiorum 5. & ibi Bart. C. de agricol.
censit. l. si prius 17. §. 1. & ibi Bart. ff. de aqua pluv. arc. U-
troque tamen horum deficiente, indistinctè extra territorium
belligeranti Domino servitia præstabit, sive sit locus propin-
quus, sive remotus, modò Dominus suscipiat bellum vel pro

vindicanda injuria sibi aut aliquibus ex vasallis aut subditis suis illata, ve etiam pro defendendo aliquo castro aut civitate recuperanda, arg. c. 1. in prin. de nov. form. fidelit. nam ibi agitur de jure Domini firmiter & efficaciter conservando & retinendo. Duos tamen hic casus excipe. 1. Si dominus, ut supra, de novo alias acquirat civitates & sedes, arg. l. sed & hæ personæ 35. §. 2. ff. de procurat. l. quod nisi 20. ff. de oper. libert. 2. Si etiam sit bellum in ipsa ditione, in qua habitant subditi, cum ordinata charitas à seipso incipiat, l. præses 6. C. de servit. & aq. c. si non licet 23. q. 5. nisi vel Dominus ad revocandum hostem ex ista ditione ducat exercitum in hostis terram, ibique sedem belli constituat, prout Scipionem Africanum adversus Hannibalem fecisse legimus, vel nisi Dominus tot domi relinquat, quot ad defendendum sufficiunt.

VI.

*Si quis sit communis subditus duorum
Dominorum, & hi invicem
bella gerant, utri
serviat?*

Videbatur certè receptius esse, ut nulli præstaret servitia, per arg. l. quoties 34. in prin. ff. de usufr. l. & hujusmodi, §. fin. ff. de legat. 1. l. hæ operæ, §. si patroni, ff. de oper. libert. In promptu quoque est ratio, quoniam uni non minùs quàm alteri est devinctus. Imò si ratio hæ applicatur, contrarium elicitur, nam: Quacunque ratione Domino quis est devinctus, ea etiam servit. Jam verò non ita est devinctus, ut utrumque deserat in casu necessitatis. Ergò ut utrique serviat, nam ipsa devinctio sive obligatio non importat desertionem, sed potius opem. Hoc verò impossibile, si loquimur de duobus Dominis unius subditi belligerantibus invicem. Sed

&

& hæc obligatio non solum includit auxiliarem operam, sed etiam non resistantiam, ideoque subditus non solum ita est devinctus, ut serviat, sed etiam ut non resistat, id quod observare debet in discordia exorta inter utrosque Dominos. Nos ita juveniliter & exercitii gratia procedimus. Si unus Dominus injustè opprimitur ab altero, tunc si ignorat subditus, nulli serviat, quia innocentem subditum reddit amor erga utrumque; arg. c. quid culpatur 23. q. 1. in f. aut novit alterum injustè opprimi, & tunc necessariò optulabitur injustè oppresso, quia aliàs non purè tenebatur Domino irrationabiliter agenti, d. c. hinc finitur lex. Et cur non tenebitur? an non ab omni superioritate jus honestatis intelligitur exceptum, Bald. in l. quod ex liberta, C. de oper. libert. Imò si non licet præstare auxilium adversus Imperatorem, c. & ibi gl. de nov. form. fidel. cum mundi Dominus appelletur, l. de precario, ff. ad l. Rhod. de jactu, cujus sunt omnia, l. benè à Zenone, C. de quadr. præscr. l. 1. §. si quis à Principe, & §. meritò, ff. ne quid in loco publ. in quem populus omne suum imperium & potestatem transtulit, §. sed & quod Principi, Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. 1. §. cum, C. de vet. jur. enucl. l. 2. §. cum igitur, ff. de orig. Jur. Et tamen si constat Dominum immerentem injustè opprimi & oppugnari ab Imperatore irato iniquè gravante, citraque causam sciente, potest impunè subditus Domino etiam adversus Imperatorem subvenire, per d. c. Domino Gverram, hinc finitur, §. sed & hoc tempore, Inst. de his, qui sui vel alien. juris sunt, Afflict. decis. 265. num. 77. Andr. Kohl. de servit. feud. p. 3. num. 35. cur non etiam adversus alterum Dominum irrationabiliter in alterum scientem, nam ubi vel honestatis vel pietatis cessat ratio, ibi cessat & vinculum, ni esse deberet vinculum iniquitatis.

B §

40

An fœmina Ducis officio in bello fungi debeat?

Fœminas ab omnibus officiis civilibus removet Ulp. in l. 2. ff. de R. J. ita ut inter alia officia civilia nec magistratum gerere possint, propter in promptu etiam positas rationes. 1. Quia natura dedit viris imperium, & cum imperio prudentiam, animi magnitudinem, robur corporis, patientiam laboris, constantiam in adversis, contrarium verò fœminis. 2. Justitia postulat, ut minor majori serviat, unde etiam ab Aristotele vir vocatur *ἡγεμονικότερος*, 1. Polit. 8. 3. Deus pœnas indicens populo, fœminarum imperium annunciat, Jer. 3. v. 5. & 12. 4. Fœmina quæ imperat, aut viro nubet, aut abstinebit à matrimonio: si hoc posterius, contemptui habebitur à subditis, nec ejus imperium viri facile tolerabunt diutius, & facile aliquid labis pudicitiae suæ asperget: si prius, aut imperium sibi retinebit, aut transferet in maritum, illud turpissimum & omninò naturæ contrarium, &c. Verùm enim verò quod ita non simpliciter à magistratu arceantur, in causa est, si aliter Resp. servari non potest, salus enim populi suprema lex esto. Si igitur bella declinari, vastationes caveri, & aliena prohiberi mala aliter non possunt, & unica restat fœmina, habeat sibi imperium, si modò consuetudo etiam illud admittat, & non aliud quippiam imminet. Licet a. maximè hîc includamus virtutem & prudentiam, tanquam requisita maximè necessaria, ut in Debora, Judic. 4. Saba, 3. Reg. 10. Artemisia, Herodot. Cornelia, Quintilian. lib. 1. c. 1. Candace in Meroæ Insula, Plin. lib. 6. c. 29. & aliis, tamen principaliter hîc virtutem respiciendam minus putamus, sed casum necessitatis, nã nec viros sola virtus *ἡγεμονικὸς* fecit sed natura. Quid a. jam ad ducatum bellicum? certè fœminas in militiam vocari, & munera militaria obire negat Bald. in l. fin. n. 1. & 7. C. de suis & legit. Jacobin. de S. Georg. in tract. de feud. in verb. Marchio, numer. 4. Roland. à Vall. consil. 41. n. 11. vol. 4. Benè ad Andromachen Hector; Il. 2. Domum abiens tua quæ sunt curato, telam & colum ancillas jube opus facere suum, bellum a. viris curæ erit. Ovid. lib. 12. Met. columq;

*I cape cum calathis, & flamina pollice torque,
Bella relinque viris. Hinc*

Hinc Varro libr. 4. de ling. latin. Martem dictum putat. *ἄνδρ' τὸ ἀρρεν*, h. e. à mare, quasi bella viris peculiariter conveniunt, non foeminis, idque sequuntur Tiraq. in l. 1. conub. gl. 1. part. 1. n. 62. & Borch. de feud. c. 1. n. 19. Nos assumentes, hæc dicimus ex quarundam hypothese dicentium, si adsunt fortes viri & strenui præferendi necessario, & sic inferimus: Quodocunque adsunt fortes & strenui viri, ibi nunquam debent Ducatus munus gerere foeminæ, jam v. semper adsunt tales viri, quis n. in tanta virorum bellicorum copia non unum reperiat fortem & strenuum? E. foemina nunquam debet gerere munus Ducatus exercitus. Novimus quidem, quod is tutissimè imperio & bello præficiatur, in quo est scientia militaris, virtus, autoritas, felicitas. Cur a. quando hæc adsunt, vel adessent in foeminis viros præferunt, nisi aliquid aliud subsit, & certè auctoritatem non facilè illis tribuimus talem, quæ sufficiat ad exercitum, quod Semiranis sciens ementita est sexum. Et verum est præceptum, cui res respondet in natura, ni sit res per accidens. Imò nec ipsa Debora Ducis officio fungi voluit, sed illud detulit Barak, sicut videre est Jud. 4. Concedemus tamen illis, quando omnes viri erunt effoeminati, aut foeminæ instar Amazonidum meræ belligerabunt, quæ & ipsæ sexum aliquomodo ementitæ per papillarum adustionem.

VIII.

An fides hosti data servanda?

Veteres ut promissi servandi religionem eò sanctiorem haberent in paciscendis foederibus, morem hunc observarunt, ut taurum vel porcum dividerent, & per taurum divisum transirent, una parte in unum, altera in alterum latus collocata, talia sibi imprecanti: nisi foedus servavero, ipse sic divider: teste Cyrill. contr. Julian: quem morem etiam tenuerunt Romani: test. Briss. de for. lib. 4, p. 389. seq. Sig. de ant. j. lib. 1. c. 1. Quid v. in hostib. etiam fidei? nos sic: Inter quoscunque juris gentium est communio, inter illos etiam conventionum & obligationum vinculum, l. conventionum, ff. de pactis. Atqui inter hostes est juris gentium communio, l. ult. ff. de legat. Ergo est obligatio, qua de causa violatis hostium legatis, jus gentium violari

violari dicitur, Liv. lib. 15. c. 38. Insigne est exemplum Josuæ 11. ubi ipsi Gibeonitæ non ejiciuntur à Josua & Præfectis ob obligationem quam dederant illis etiam circumventionem callida utentibus Gibeonitis. Et quanquam stratagemata bellique furta absque perfidia licita sint, juxta illud: Dolus an virtus quis in hoste requirat, ut & exploratores, Lips. 5. Politic. 18. Danæus 7. Polit. 6. Machiavell. 3. disput. 40. Kirchner. disp. ult. th. 4. lit. c. Jun. quæst. 75. Gentil. 2. c. 3. tamen illud respicit ad eas insidias, quibus ante fidem datam adversus hostes uti, non minus quàm apertavi permissum est. Sed quid Clerici agunt nostri? absolvunt à juramento, sicut nece sua expertus Henricus III. Rex Gallia. Proh Deum immortalem! si norunt juramentum esse invalidum, cur ea, quæ abominabilia sunt, scienter agunt, scilicet invocant nomen Dei ad eum finem, quod obligationem verbis simulatam servare nolint. Nec hinc attendendum cui, sed per quem dederimus fidem, dicit Pontificius Molanus c. 30. Quid v. an pactum turpitudinis valiturum? certum est, hoc axioma intelligi esse de talibus promissis, quæ in se habent talem turpitudinem, quæ sit malitia aut malum culpæ. Itaque non omne turpe promissum est rescindendum, sed tantum ejusmodi, quod in se continet malitiam culpæ. Concludimus ita cum Bod. lib. 5. de Rep. c. 6. Si fidem hæretico vel hosti dare fas est, datam servare jus erit: si fidem frangere fas est, dare nefas erat.

IX.

An pedites an v. equites præferantur in bello?

Dum contra Arist. lib. 4. Polit. c. 13. equites priores fuisse peditibus statuere existimant Politici quidam, afferentes exemplum ab Israelitis, qui peditatui primò fuere magis addicti, non statuunt contrarium sicut putabant, nam d. l. Arist. sermo erat de regno Græcorum in specie, non de regno quovis in genere, ideoque licet poneremus, peditatum fuisse priorem, tamen non debebat afferri ratio ab Israelitis ad Græcos, patebat a. Arist. ratio, quia in principio regni Græcorum non adeò erat bene composita Resp. inutilis a. pedestris armatura sine ordine, idem Philos. 4. Pol. c. 13. De hoc v. ex professo non disputabimus, sed de præstantia saltem majori alterutrius in universo bello?

bello? nos cum sanioribus pedites præferimus ducti his. I. Qui-
 cunque in præcipuis belli requisitis plus conducunt, illi etiam
 præferuntur meritò. Pedites v. in præcipuis requisitis plus con-
 ducunt. E. præferendi. Majorem extra controversiam ponimus,
 Minorem probamus. I. ab ordine, quia pedes ordinem præsti-
 tutum servare potest meliùs, & paululùm perturbatum citiùs
 restituere. Ordo v. quàm præcipuum sit requisitum in bello, iis
 dijudicandum relinquimus, qui in ordine militarunt perturba-
 to. 2. ab oppugnationibus: quis citiùs perveniet ad Urbium ra-
 ptarum oppugnationes? II. Quia plus indigent equites peditib.
 quàm hi illis, & quidem ad victoriam deportandam, quæ est fe-
 licitas in bello. III. Conjicitur in turbam reliquarum rationum
 à quibusdam & illa, quia major numerus peditum impensa faci-
 liore nutritur, sed si nuda hæc & sola staret, nescio, an aliquid
 obtineret? IV. Afferitur & illa, quia plus impeditenti in equite.
 Nam ut inter homines, ita & inter equos magna est diversitas;
 generosi alii, alii inertes, quod si jam, ut sæpè fit, audax equus
 ignavum sessorem nactus, alterius vitio corrumpitur. E con-
 trario pedes nullius virtuti præterquam suæ fident, expeditiùs ho-
 stem ferit, sese defendit certius, firmiùs stat in acie, neque quic-
 quam respicit præter hostem & ducem. Videtur hanc compro-
 bare sententiam Xenophon. lib. 3. de expeditione Cyri, ubi ad
 milites: Quod si quis vestrum inquit, minus fidenti est animo,
 propterea, quod equitibus destituti simus, quorum copiam ho-
 stis habet, cogitetis velim, equites ccc̄o nihil plus esse, quàm
 homines ccc̄o. Nam ab equi vel morsu vel calcitracione nemo
 facilè in prælio perit: Viri sunt, per quos in pugnis omnia ge-
 runtur: Atque nos quidem multò quàm equites tutiore vehicu-
 lo utimur; Nam illi ab equis pendent, neque nos tantùm metu-
 unt, sed illud etiam, ne ab equis excutiantur, nos terræ firmiter
 innixi vehementiùs feriemus & certius; Una tantùm re nobis
 præstant equites, securiùs quàm nos fugam arripiunt. Interim
 tamen & equitib. pro ratione loci & temp. iudicari arbitramur.

X.

Num literati præcedant milites?

Qui pro militibus pugnant, hæc præcipuè afferunt inter

C

cate-

caetera. i. ab ordine argumentantur, quia in omnib. ferè locis jur. civ. ubi fit mentio armorum & legum, semper præferuntur arma, non solum in ll. Impp. ut in l. i. in pr. C. de Just. Cod. comp. & l. i. C. de vet. J. E. l. tanta. C. eod. proœ. I. in pr. verum etiam in ll. JC. l. ab his oneribus. 10. §. Angariorum. ff. de voc. & exe. mun. imò etiam. 2. Sam. 8. vers. 16. Joab antefertur Josaphat Cancellario, notat a. Everh. in top. loc. I. ab ord. n. 13. quod ex ordine arguatur prærogativa. II. ab antiquitate; fuit imperium armis introductum statim post diluvium à Nimrodo, Gen. 10. II. I. à periculis & laborib. quos milites faciunt IV. inter Deos olim ob honorè referebatur milites, vid. Ant. Bonfin, lib. 2. de pudic. conj. V. Quia mundus magis admiratur potentiam & gloriam bellicam, VI. Cic. in Or. pro Muræ, ita. Rei militaris virtus caeteris præstat omnibus, hæc nomen pop. Romano, hæc huic urbi æternam peperit gloriam, hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit, imò res omnes, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus & industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Verum & nostra pro literatis afferimus. i. quia literæ plus perficiunt hominem, & stabilia magis afferunt bõa, quàm militia, quæ regna lapsura. II. Eccl. 9. v. 18. Sapientia melior armis. III. imò literæ antiquiores, si aliàs valeret illud arg. quod tamen non simpl. procedit, ni peccatum præstantius ipsa promissione de semine, Gen. 3. v. 15. & ipsa passione Christi statueres. Testatur aliàs Polyd. Virg. l. i. c. 6. de rerum invent. quod statim tẽpore Adami coeperint literæ, IV. literæ legales armis imperant, Nov. de præ. Lyc. 25. c. 5. in f. Quod a. imperat est præstantius eo, cui imperat, Ar. I. Pol. c. 1. V. quia literæ hominem Deo magis reddunt similem. Plutarehus aliàs de Numa dicit in Numa, quod mutaverit ordinem mensium, & Januario primò dederit locum. Martio tertium, ob eam rationem, quia Janus civilis societatis studiosus fuisse perhibetur, qui vitæ rationem de belluina & fera humanam redegerit. Et hæc sunt præcipua ab utraq; parte. Distinguunt alii inter actum promiscuum & militare, quod in hoc milites, in illo literati anteferendi. Uterum si de præstantia loquuntur majori, negamus, nam licet magis sit necessarius miles tempore militari tamen manet præstantia literati, quæ in majorib. consistit, non omne a. necessarium est etiam magis præstans. Facit miles, quando Remp. defendit,

fendit, ut Resp. subsistat, literatus ut melius subsistat, de hoc ait
Cic. i. off. Solonem plus suo consilio, quo Areopagitas constituit,
adjuvisse Remp. quam Themistoclem, in signi illa ad Salaminam
victoria. Quod v. allata superius pro militib. attinet arg. ad i. resp.
quod ab ordine literæ, licet interdum, tamē non semper ad præ-
rogativam benè colligatur, sic ordine literæ sæpè Imp. præfertur
Deo, ut l. i. in pr. ibi: nobis à cœlesti. l. 2. in pr. tanta circa nos divi-
næ &c. constit. dedit nobis Deus, C. de vet. jur. enuc. & alibi, & ma-
lè concluditur ab ord. quando aliud in jure reperitur dispositū,
quod hîc factum. Ideò a. Justinian. arma literis præposuit, ut no-
tū faceret, se prius arma, quàm ll. tractasse, d. l. 2. C. de vet. jur. enu-
cl. de Joabo idem concluditur, cum & filii Davidis Sacerdotes ibi
postponantur, nec detrahitur illis prærogativa. Ad 2. resp. in rat.
3. poster. sent. In 3. nihil concluditur à periculis, aliàs nautæ, servi
in pistrinum missi, omnibus anteirent, imò sæpè, ut loquitur
Frider. in Auth. habita. C. ne fil. pro patr. literati amore scientiæ
fiunt exules, facti de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt,
vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè homi-
bus, quod graviter ferendum, corporales injurias sine causa per-
ferunt. Ad 4. imò prudentes & literati meliori ratione immorta-
les & Deo magis similes. Ad 5. vanum est, popularis auræ esse vile
mancipium. In 6. Cicero agit ut patronus & orator, qui in-
terdum magis attendunt ad verisimilia, quàm ad
vera. Oratoribus enim & Poëtis fuit æqua po-
testas. Nos concludimus.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

C 2

Ad

Ad Nobiliss. Dn. Respondentem, ut Amicum,
ut Fratrem meum,

de bellicis questionibus eruditè disputantem.

Pugnat maturè qui pòst vult miles haberi. (pugnas
Idem Animus Tibi nunc, qui Linguae Docte re-
Mitzschfahli gladio, ferrum stricture deinceps.
Bella moves lepidò Musis examine, Martis,
Sic credo, egregios mox quæsiturus honores.
Urge propositum, quem jam præludia belli
Verba juvant, Te facta olim mavortia clarent.

Cuno Othmar von Bodenhausen.

ALIUD.

Laudandus ille, quem typis
Facto sequace publicis
Commendat eruditio!
Talis Tibi jam, Mitzschefahl /
Fortuna quod bona obtigit,
Quo debeo Te prædico
Magnum pusillus nomine.
Laudi esto Disputatio hæc.

Bodo von Bodenhausen.

Eidem Nobilissimo Dn. Respondenti,
Fautori meo.

Ipsa quidem per se, velut ardens stella, refulget
Nobilitas; socia sed magis arte sibi.
Nobilitatis opes nactus MITZSCHFAHLIUS Sortû;
Afficit has animi dexteritate sui.
Conspicuum ô Homini spectamen Nobili, honorem
Si Generis clariis auget honore bonis!


Cyriacus Heydelbergi, Nobil.
a Bodenhausen p. t. Præceptor.


AB: 154464

(x2618616)

R

V317





18

IONUM
LICARUM
A,
PIRANTE,
s Superiori-
Salana,
io
ZERI ISLEBIENSIS,
ctionis
ponit
I Nob. Hetrusc.



ERIANIS,
STI
V.

